



Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Alexandrvm Pollinvm. Detestatur anguillam, quam Comaclij ederat,
causam grauissimæ nephritidis. Ode II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Iam tunc Iberæ mysticus ut pater
 Gemmæ, capacem fingere cœperas
 Lustrando fortunam Parentis
 Ausoniæ dominantis vrbis.
 O meta votorum alma, Quiritibus
 Extorta flexis ! ô genus imperi
 Cœleste ! mensis ô beate,
 Qui cumulas bona cuncta, Iuni.
 Fies fauentum tu quoquè luminum,
 Addenda fastis lux Capitolij ;
 Lux pulchra, festiuæ creatrix
 Lætitiae, calidique plausus.

AD ALEXANDRVM POLLINVM.

*Deteſtatur anguillam, quam Comaclij ederat, causam
 grauiſſimæ nephritidis.*

ODE II.

NE quærant rigidi saxa triumviri,
 Neū ſcalam gemitus, neū corium bouis
 Damnato capiti; vel miserabiles,
 Expectare velint aut Scyron exules
 Infamem ſcopulis, aut grauis Olbiæ
 Sardöas nebulas, aut loca Pontica.
 Mortes ſufficiet Lerna Comaclij,
 Serpentum genitrix, pectoribus pares;
 Seū mactare diū, ſeū breuis incidit
 Tormenti pietas, lædere dextera.
 Horum, prò Superi, viscera ciuium!
 Væ nî, quæ misero ſpicula lancinant
 Ventrem? quod ſtonacho virus inhorruit,
 Motâ bile furens, fellea concito
 Ut cogat vomitu reddere flumina?
 Anguillæ tumidam nomine coniugem
 Demisi colubri? nûni memor indolis
 Eruptura latus findere viperæ

A 3

Lu-

4 IAC. ALB. GHIBBESII

Luctatur, solido dente ferocior?
Infelix perij, quicquid id est. Malo
Certe saga dapes Thessala fascino
Conduxit, vel acus pungere ductiles,
Pistiuè apta vitri fragmina rodere
Supponens, fluidis inuida lancibus.
Non tantus Meleagro hauserat ilia
Languenti dolor ad stipitis exitum
Fatalis : nec erat tam ferus hospitum
Mensor cum trabibus latro Corinthius.
Me percellit adhuc supplicij genus
Quamuis præteriti, bellua cum loco;
AEternaque odium nutrit imagine.
Qui te pro placidi dotibus ingenii
Non, POLLINE, colit gnauiter, hoc precor
Vefci possit iners angue Comaclij,
Pœnas & similes pendere Gratijs.

FERDINANDO FVRSTENBERGIO.

*Qui carmine deflebat Sidronij Hosschij, præclari poëta,
mortem.*

O D E III.

G Loriam quisquis iaculatus ultra
Orbis ignotas penetrauit oras,
Quid mori cessat, grauiore tantum
Parte superstes?
Optimum nostri bona, crede, fama est:
Spiritus magni soboles inertem
Corporis glebam fugit, ac beatos
Occupat ignes.
More præstantes subiere tali
Culmen herœs Superuni; reductos
Siq tenent clari, loca læta, campos
Carmine vates.
Hosschius laudis, meritique plenus

Vixe-